



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CXXVI. De Reaedificatione castri Brandenburg & laudabili vita  
cujusdam fratris ibidem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

## CAP. CXXVI.

*De**Reædificatione castri Brandenburg  
& laudabili vita cujusdam fratris  
ibidem.*

**M**Archio de Brandenburg intelligens, quod castrum per eum ædificatum esset à Pruthenis destructum, turbatus est, & collecto iterum magno exercitu rediit Pruschiam, & de Magistri & fratrum consilio ad eundem locum castrum aliud ejusdem nominis instauravit. In hoc castro fuit quidam frater Hermannus de Lichtenburg Nobilis, qui præter alias castigationes & abstinentias quibus se afflixit continuè circa corpus suum nudum loricâ pro camisia utebatur. Undè accidit quod super indutis aliis armis, dum ad bellum proficiscens impetuose se haberet sicut in tali negotio est consuetum, in tantum caro ejus corrosa fuit, ac si fuisset scorpionibus cæsa. Pro quo dum frater Petrus Sacerdos confessor ipsius eum redargueret, asserens quod tempore belli deberet loricam deponere, propter armorum gravedinem aliorum: Respondit, quod nulla necessitas ad hoc eum posset artare, quod vivus eam posset deponere. Sed in ipsa nocte sequenti apparuit ei B. Virgo Maria, quæ tactu placidæ manus suæ ipsum sanavit, sic quod dum eum frater Petrus prædictus iterum videret, nulla corruptionis alicujus in cute ipsius macula comparebat.

## CAP. CXXVII.

*De**Fratre Theodorico Magistro Pruschia VIII.*

Fra